



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De rebus ecclesiasticis, quomodo restitui debeant. xxvii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

in mense Nouembri præsentis anni, secunda indiçione, Petrum & cœpiscopum à gremio sanctæ Romanæ Ecclesiæ transmittimus, vt fratribus eiusdem prouinciæ in vnum congregatis, emunitas & præsumptio & sacrilegium canonica autoritate, & vestra regia dignitate talem terminum accipiant, ne post hac membra diaboli, filii nequam, in sancta Ecclesia te etiam ibi regnante talia præsumant.

*De rebus Ecclesiasticis quomodo restitui debeant. Cap. XXVII.*

**E**T in legibus seculi cautum habetur. Qui rem surripit alienam, illi cuius res dirempta est, in vndecuplum quæ sublata sunt restituat. Et in lege diuina legitur. Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui: & dicit omnis populus, amen. Talia ergo non præsumantur absque ultione, nec exerceantur absque damnatione. Pacem, & non damnum aut iniustitiam alicuius, sectamini in inuicem, & in omnes. Proinde si quis Ecclesiasticas oblationes, & quòd Deo consecratum fuerit, rapuerit, vel consenserit facientibus, vt sacrilegus diiudicetur, & damnum in quadruplum restituat, & canonicè pœniteat.

*Quòd sacrilegi sint Ecclesiarum prædones. Caput XXVIII.*

**S**acrilegi sunt Ecclesiarum prædones. Vnde & in concilio Agatensi sub quarto capitulo decretum habetur. Ira Amico quippiam rapere furtum est: Ecclesiæ verò fraudari vel abstrahi surripique sacrilegium. Omnes enim contra legem facientes, resque Ecclesiæ diripientes, vel Ecclesias sacerdotesque contra diuinas sanxiones vexantes, sacrilegi vocantur, atque indubitanter infames, sacrilegique habendi sunt.

*De eadem re. Cap. XXIX.*

**A**d sedem autem apostolicam perlatum est, quòd sint inter vos contentiones & emulationes, & prædia diuinis vsibus tradita, quidam humanis applicent vsibus, & domino Deo cui tradita sunt ea subtrahant, & suis vsibus inseruiant. Quapropter ab omnibus illa vsurpationis contumelia depellenda est, ne prædia sub secretis cœlestibus iudicata à quibusdam irruentibus vexentur. Quòd

*Ex decret.  
Eusebii  
cap. 8.*

*Ex cœcil.  
Moguti,  
cap. 3.*

*Ex epist.  
Pii papæ  
Italicis  
fratribus  
missa.*